

M-s. 207
2

294.

Contenta

1. Super Papstatis tempore. ex Eusebio grec. et lat.
2. Vera religiois per sp. moderande indus.
3. Angelorum humanitar.
4. De resurrectione Christi
5. De Diis et sanctis inter celites respicitis
6. Cons. Nahmacher de naturali theologia M. T. Ciceronis
7. Joh. Ge Knappa de raptu et cruce Pauli
8. Differentia Christi zentecostes recentis et veteris
9. L. Specht de tide miraculosa
10. Justi Chrysander de doctoratu Christi tricenarii
11. d. Vogel Exortatio in Vialeatum polichram V. T.
12. Justini Nestorii accountis resurrectionis carnis
13. sig. F. Baumgarten de genealogia Christi
14. Georg Meiss in loc. gen. Deut: XXIII-17 graece versionis
15. Baptisi magni oratio de humana XII. generatione
16. De determinando die natali festa
17. Gruener de repxi veroe pietatis cum puritate doctrine

f. a. g. Marz
1795.

VERA RELIGIONIS
PER SPIRITVM S. MODERANDAE
INDOLES

IN
SACRIS PUBLICIS
PENTECOSTES CHRISTIANORVM
A' C' N' MDCC LXVII.
CIVIBVS ACADEMICIS
COMMENDAT A.

HELMSTADII
EX TYPOGRAPHEO VIDVÆ SCHNORRIÆ.

ACADEMIAE IULIAE CAROLINAE
PRORECTOR ET SENATVS

S' P' D'

CIVIBVS ACADEMICIS.

In ea, Ciues Optimi, quam superiore anno ad Vos
instituimus narratione de homine πνευματικῷ, ut
haberetis, in quo vestra religio Spiritui S. debita,
hoc ipso tempore se cogitando agendoque exerce-
ret; consultum videbatur ex eo loco prodire, in
quo ipsum Seruatorem προστακόν ἐν πνευματικῷ αἱρέει
commendantem audire licebat. Neque tamen permitte-
bat instituti ratio Vos in eodem diutius detinere, qui po-
tius nobis ad proxime adiacentem traducendi eratis, in
quo Paulus hominem christianum, ad illam adorationem
in Spiritu et veritate formatum iam, monstrare paratus
erat. Sed fatendum est nos iam tum difficulter eum
reliquisse: est enim et latissimus ad disputandum et di-
gnus in primis, cui in Sacris publicis Spiritus Dei rite faci-
endis immoremur. Redeunte itaque anniversaria horum
solemnitatem, redibimus etiam nos, Vobis quidem comi-
tantibus, ad illum, atque ea multa apud Vos proferemus,
quae commentando experti sumus super eodem verissi-
me dici posse.

Iam



IV

Iam etsi non dubitari potest, quin omnes Seruato-
ris effatum recenti memoria teneant, in quo praecipua-
mentio cultus diuini, quem laudabimus, facta legitur,
debetque etiam ab omnibus animo potius quam chartae
inscribi; decet tamen ab eodem recitando nostrae oratio-
nis initium facere. Seruauit vero *Ioannes* capite IV.
in contextu narrationis hoc: λεγει αὐτῷ ἡ γυνὴ,
Κυρίε, θεώρω ὅτι προφῆτης εἶ σύ. Οἱ πατέρες ἡμῶν ἐν
τούτῳ τῷ ὅρᾳ προσκυνήσαν, καὶ ὑμεῖς λεγετε ὅτι ἐν Ιεροσο-
λύμοις ἔσιν ὁ τόπος ὅπου δεῖ προσκυνεῖν. λεγει αὐτῇ ὁ Ἰησος,
Γυναι, πιστεύσον μοι, ὅτι ἐρχεται ὥρα, ὅπερ ἐτε ἐν τῷ ὅρᾳ τετῷ,
ἐτε ἐν Ιεροσολύμοις προσκυνήσετε τῷ πατρὶ. ὑμεῖς προσκυνεῖτε ὁ
ἐκ σιδαρέ ἡμεῖς προσκυνήμεν ὁ σιδαρεν. ὅτι ἡ σωτηρία ἐκ των Ιε-
δαιων ἔσιν. ἀλλ' ἐρχεται ὥρα, και νυν ἔσιν, ὅπερ οἱ ἀληθεῖοι προσ-
κυνηται προσκυνήσετε τῷ πατρὶ ἐν πνευματι και ἀληθειᾳ. και γαρ
ὁ πατὴρ τοιτέρας ἔχει τὰς προσκυνήσατας αὐτον. Πνευμα ὁ Θεος
και τὰς προσκυνήσατας αὐτον, ἐν πνευματι και ἀληθειᾳ δει προσ-
κυνειν.

Hic, ut paucis comprehendamus, quae ad verbo-
rum interpretationem pertinēant, omnes meliores inter-
pretes vident, vim totius sententiae a recta intelligentia
verborum ἐν πνευματι και ἀληθειᾳ pendere, cumque non
minus obuium sit contineri iisdem contrapositionem ad
illud ὃντε ἐν τῷ ὅρᾳ τούτῳ, ὃντε ἐν Ιεροσολύμοις iidem haette-
nus consentiunt, vt dicant, eiusmodi adorationis for-
mam indicari, quae sit nulli loco terrarum et multo mi-
nus vni aedificio adstricta. Sed dissentiant valde, si
quod hoc modo ex vicinitate verborum vniuersitate sumi-
tur, demonstrandum est, quomodo ipsis verbis insit et
quicum potissimum ex vtrisque cogitari debeat; quibus-
dam, vt *Er. Schmidio* ad prius πνευμα, aliis, vt *Benza*
plane contra ad posterius ἀληθεια, et rursus aliis ad vtrum-
que per Hendiadyn interpretandum, allatam notionem
adstringentibus. Neque nos ipsi olim dubitauimus in lo-
co

co, in quo sensum vt cunque indicasse satis esse poterat, vertere, *cordate animoque sincero*, et si nolbamus propter ea in iis numerari, quos doctrinae prioris generis interpretum pœniteret. Ut itaque nunc ἀρχεῖα disputationis postulante his accedere parati simus, perfecura prius recensione modi interpretandi apud alios. Nam inter quos haec tenus conuenit, vt πεστινεῖν ἐν πνευματι h. e. ex ebraici sermonis siue inopia siue frugalitate, πνευματικος, sit colere Deum vbi cunque terrarum animi mentisque intentione omni, noua pugna oritur in alterius ἐν ἀληθεῖα interpretatione: Et bene se res habet, si tamen oritur. Nam multi, Schmidio non excepto, plane intactum relinquunt, vt Heinsius (in Aristarcho ad h. l.) iam monuit. Ipse vero, vt ab hoc ordiamur, existimat ex ebraica consuetudine verbi נָתַן cultum indicari, qui etiam cum *vita puritate coniunctus* sit hancque interpretationem amplius tuerit per sententiam commatis 20, in quo mulieri Samaritanæ flagitioſae cum alieno marito consuetudinis culpa haud obscure tribuatur. Sed iam diu ante eum Theophylactus coniecturam fecerat το, ἐν ἀληθεῖα opponi cultui errore, vt prius ἐν πνευματi ceremoniali, Lichfooto eandem, tanquam, vt sit, sibi propriam (etsi praeter Theophylactum, inter recentiores Victo. Strigelius in Hypomnematis strictim eam proposuerat), ex hac ratione firmantem, quod Seruator mox ante errorem in fide mulieri exprobasset ὑπεις πεστινεῖτε ὡς εἰδῆτε, unde probabile sit, eum huius quoque oppositum oratione sua comprehendere voluisse. Neque hic finis coniecturarum augerque earum varietatem Grotius, qui assertiōnem de auferendo locorum discriminē in illo ἐν πνευματi factam, nunc per additum ἐν ἀληθεῖα ad omnem quoque rituum abrogationem extendi putat, quoniam nihil solidi in figuris nisit, contra omnia in precibus, gratiarum actione et sic porro, quasi succum et sanguinem habent. Atque poterat is etiam, si adeo ipse maluisset,

aut

VI

aut alios optasset a superiorum potius auctoritate pendere, quam suo iudicio vti, *Cbryostomi* doctrinam proferre, qui ad h. l. scribit ὃν γαρ των ποπων ἀμειφθησται μονον, ἀλλα και τε τρεσον της λατρειας, atque hoc postremum deinceps vberius de τυποις explicat.

Nobis nunc non negamus omnia in hac *Grotii* interpretatione probari, praeter nimiam subtilitatem in dividendo sensu sine loci et rituum discrimine inter utrumque verbum. Ita enim haec secum cohaerent, vnumque in altero simul cogitatur, vti certum est locum cultui diuino destinatum et ipsum ad ritualia pertinere; eum qui in quoouis loco Deum colore iubetur, hoc ipso neque aliis operosis ritibus amplius alligari, adeoque D. N. de loco tantum interrogatum per se existimandum esse de ablatione rituum simul respondere voluisse. Itaque facile crediderim per utramque loquendi formam cultum diuinorem, a quo absit et loci statuti necessitas et rituam molestia ex diuersa tantum ratione describi, eundemque mox πνευματικον dici, quoniam primariae animi partes in eodem sunt, mox ἀληθινες, quoniam vere Deo placet, firmum solatium assert, atque stabilem felicitatem praefstat, quae omnia neque a loci neque ullius externi operis fallacia imperantur. Sed vtcunque sit nosque fortassis ipsi quibusdam curiosiores in hoc videamur, manet tamen in se verissima semper interpretatio verbi ἀληθεια, vti *Grotius* eam ex vfu N. T. satis cognito, *Philonis* praeterea et *Clementis Alexan.* scribendi genere demonstrauit. Et si quid video in utraque antecedente interpretatione affingitur Seruatori propositum magis, quam edocetur; vt non addam *Theophylacti*, et qui eum sequuntur, rationibus hoc quoque deesse, quod verba εἰς οἰδατε de cultu ignoti Dei aut plane plurium interpretentur, quibus potius inesse videtur descriptio cultus ceremonialis, cuius vera virtus ignoretur. Concludamus nunc hanc

hanc nostrae disputationis partem paraphrasi latina huius
formae: *crede mibi tempus futurum esse, quo neque in eo,
quem hic vides, monte Garizim neque Hierosolymis cultus
diuinus peragetur; Nam et si libere et sine partium studio
tibi profiteri cogor modum cultus nostri vestrum supera-
re, cum vos ceremonias obseruetis, quarum vim plane igno-
ratis, nos vero sublimiorem intelligentiam earundem usui
adiungamus, quorum popularis erit, ad quem expectandum
tanquam totidem signa ducunt; tamen nibilominus, quem-
admodum dixi, tempus futurum est, quin immo iam adeat,
quo perfecti cultores, solida animi, quaeque huius conse-
quens est, totius vitae pietate, sine externo loci rituumque
discrimine, Patrem adorabunt. Est enim profecto Deus
Spiritus perfectissimus, in omni loco numine suo praesens
materieque fragilis atque caducae omnis expers, ut ade-
co qui cum decenter colere velit, animi vitaeque puritate
efficere teneatur.*

Haec itaque de verbis eorumque accurata interpre-
tatione dixisse sufficiat. Et cogit tenuiores in hac parte
disputationis esse magna rerum dicendarum copia atque
varietas nobis proposita atque paruo orationis fasciculo
tam artificiose complicata, ut fabricationem vere diu-
nam quisque facile agnoscat, et ita perfecte, ut nihil de-
sit, quod ad veram indolem religionis Christianae co-
gnoscendam requiratur. Quod quoties nunc novo docu-
mento probabimus, toties Ciues Amantissimi, ut spe-
ramus atque optamus, sensus sapientissime dispositae re-
ligionis per D. N. I. C. patescet, cum ante in *arcans*
Dei decretis numeraretur (1. Cor. II, 7-9. Eph. I, 9-10.
III, 3-5. 9. 10. Col. I, 25. 26. 27. II, 2. 3.*) hic, itaque, sen-
sus

* Quoniam fortassis deinceps superiorum sententiatarum usus e-
rit, accuratam earum versionem hic infra adscriberimus —

VIII

fus Vobis augebitur , coniunctus ille cum venerabunda gratulatione pro tali atque tam iucundo otio in diuino cultu nobis parato cumque verissimo voto , vt Is Spiritus Dei , sine quo tamen , vt sumus homines , semper durus labor foret , gustum eius animo instillare velit.

Dici-

praedicamus sacram et absconditam habemus sapientiam (religionem) , quam decreverat Deus ante secula nostrae salutis causa ; ut quam nemo principium huius seculi agnouit (ea enim perspecta Dominum glorioissimum profecto non crucifixissim) imo , in qua tot tantaque bona recondita sunt , quae , vt scriptum est , nemo inquam vidi , nemo fando audiuit , nemo cogitatione fingere potuisset Deusque solis antici suis parauit — Cognitum nobis faciens , arcanum suum atque liberrimum decreum apud se ipsum statutum et tempore sibi proprie veniente praedicandum , decretum , puta , de coniungendis omnibus gentibus in una Christiana religione , Iudeis non minus quam gentibus (cf. c. II , n - 18 .) — mibi ex revelatione cognitionem datam esse doctrinae sacrae (vt paulo ante paucis scripti (antec.) — quae olim non manifestata fuit hominibus , vii nunc revelata est delectis eius legatis et doctribus per Spiritum : — vtque omnes doceam , quomodo ad omnes pertineat doctrina sacra ab aeterno apud Deum effectorem omnium per F C , recondita , vt nunc patefacetur cet . — cuius (ecclesiae) constitutus sum minister , qui ex diuina legatione ad vos mibi commissa , largiter doceret verbum Dei ; doctrinam , inquam , sacram , reconditam ab ultimis abhinc temporibus et actatibus , nunc vero patefactam delectis eius (Apostolis) , quos noluit Deus ignorare , quam abundanter inter gentes praedicanda sit excellentissima haec doctrina sacra , Christus , inquam , inter vos praedicandus , summa illa spes : — vt confirmentur animi eorum intime coniunctorum per amorem et ad impetrandas omnes diuitias certae intelligentiae eius , quia cognoscitur doctrina religionis a Deo Patre institutae et a Christo praedicatae , in qua profecto continentur omnes verae sapientiae atque cognitionis thesauri .

Dicimus itaque inesse huic effato adumbrationem universae indolis religionis Christianae, in qua maxime hoc quaerebatur, ut esset *primum* Deo eiusque perfectionibus digna, *deinde* ipsum hominem decens, eidem *porro* vere salubris, *rursum* omnibus omnium aetatum atque terrarum aequa que ad perficiendum accomodata, et *tandem* quoscumque inter se ad mutuquin amorem perque hunc ad vitae societatem copulans: Nam haec, puto, audacter sumere nobis licet, et si etiam mox demonstrabimus. Iam enim pergendum est dicendumque amplius, quod, cum tantum abesset, ut nullum horum per rituum externam obseruationem impertraretur, ut potius iidem maximo in singulis impedimento essent, I. C. constitutum fuisse religionis animi vitaeque sanctitate constantis et omnia illa quasi emolumenta secum afferentis praeconem; Eum adeo venisse atque *primum* docendo eam tradidisse, *deinde*, ut omnia sacrificia expiatoria typica Iudeorum non minus quam ecclesiastica ethnicorum cum effectu aboleret, neque quis conscientia malefactorum vexatus recurrendi ad ea, siue excusationem, siue necessitatem, sibi relictam crederet, omnium peccata unico sui corporis sacrificio perpetuae ad omnes virtutis expiasset; et cum *tandem* nulla facile religio sine omnibus ceremoniis consistere possit duas quoque instituisse arcanas ceremonias, ea tamen cum cautione, ut in quo ab una parte imbecillitati humanae aliquid concedendum erat, id ipsum tamen ab altera insitam ad corroborandam vitam Christianorum virtutem haberet. Haec illa vere multiplex sapientia ab Apostolo (Eph. III, 10) commendata! Haec illa nouiter instituta religio, cuius ad homines interpres I. C. constitutus fuit (Ebr. IX, 15. XII, 24)! Haec illa doctrina arcana gentium μυστηρίον opposita temporibusque praestitutis servata (cf. locos ante citr.)! Atque haec tandem adoratio ἡ πνευματική atque αὐθηγεῖα a D. N. praescripta.

B

Sed

Sed videamus, quatenus singula haec, quae ita possumus, formula illustrata continantur, atque ex ipsius Servatoris et Apostolorum interpretatione cum eadem simul cogitari debeant.

Illud quidem facile vincemus, proposuisse sibi Deum in religione Christiana constituenta ea omnia obtinere, quae ante in concessis sumsimus. Nam, quod primum erat et per se intelligitur, a Deo nihil proficiere posse, quod non undeque perfectionibus eius dignum sit, et ex aperta Servatoris assertione constat multo plus in praecipiendo cultu suo supremum Numen suae maiestati prospicere voluisse. Aut quid magis apertum, quam si audias rationem mutandi cultus afferre hanc, Πνευμα ὁ Θεος, atque praeterea addere τοιούτους ζητει etc. Ut adeo neque necesse sit huius rei causa plures addere Scripturarum N. T. locos, esti in promptu sint, ut Ioh. XV, 8. Est vero non minus dubitandum, quin eam porro religionem instituere voluerit sapientissimum Numen, quae hominem quoque ratione vtentem deceret, poterat vero nulla alia ipsum decere praeter eam, in qua peragenda animi ipsius partes praecipuae essent, atque etiam liberale filiorum ingenium se exfereret. Et quominus in hoc via dubitatio relinquatur, efficit Apostoli Pauli seria exhortatio (Rom. XII, 1.), ad λογικην λατρειαν, et quidem ἐν αγεσον τῷ θεῷ, quod utrumque, ni fallor, hanc partem propositi diuini admodum luculenter evincit. Rursus, ut vere salubris nobis existeret atque ad veram felicitatem hominem eius cupidum perduceret, nisi ipse euentus doceret, res per se loqueretur. Nam Deus profecto non indigebat ad beate vivendum ullius hominis cultu, ut adeo nostris utilitaribus paterna benignitate consulere voluisse existimandus sit, quamprimum apparet eum rationem cultus sui hominibus praescripsisse. Vnde non modo toties diuini scriptores diuitias religio-

nis

nis Christianae ad animum quovis modo pascendum extollunt, verum etiam benignitatem atque humanitatem Dei (Tit. III, 4) cum eadem simul manifestatam esse devote praedicant. Quando nunc denuo diximus locis etiam personis, aeratibus omnibus accommodatam esse debuisse ex consilio diuino religionem Christianam, nihil profecto affirmamus, praeter id, quod Servator apertis verbis docuit, *futurum est, ut neque in hoc vnicie, neque in illo alio fixo loco, ubique adeo, Patrem adorent et quidem cultores αληθει, nullo populo excluso*, siquidem is nullum exclusisse farendus sit, qui nullius peculiarem mentionem fecerit. Quintum tandem (breues enim esse cogimur) momentum huius diuini propositi a nobis supra descriptum, quoties non inculcant Servator atque Apostoli eius in omnibus iis locis, in quibus mutuum amorem tanquam praeclarissimum Christiani officium commendant (Ioh. XIII, 34. 35. 1 Ioh. IV, 21), animorum coniunctionem vocationis nostrae partem praecipuam faciunt (Eph. IV, 1. 3. 4.), atque adeo clare ponunt decreuisse Deum per I. C. inimicitiás inter gentes nobilissimas, a longo tempore stabilitas, tollere, futuris praecaueire (Eph. II, 14. 15. 16.)

Sed sicut haec omnia ex mox dicendis multo clariora, cum eventus maxime edocere debeat, quid Deus etiam in hoc genere obtinendum sibi proposuerit atque supra hunc sapere velle hisque contentum esse nolle, quae ex ipsis scripturarum *Paroemias* pateant, modestiam certe Theologi minus decere videatur.

Itaque proxime hoc agendum erit, ex quo pateat, neque per Iudaicam neque multo minus Ethnorum religionem hos quinque fines impetrari potuisse. In Ethnorum quidem cultu vix necesse est, post Apostolum etiam, Rom. I, 24 sqq. dicere, omnem illum apparatum dierum festorum, sacrificiorum, loto-
num, iustificationum et sic porro ita longe absuisse a perse-

Etiole nostro a Deo prouiso, vt potius omnia diuini Numinis maiestatem laederent, hominem liberalem turpi mortis quemadmodum seruili tremori, tradarent, plus nocerent, quam prodeßent; atque infinitas inimicitias et rixas inter diuersos populos parerent. Soli Aegyptii satis constat, in quo capta quoad externum cultum diuisi fuerint, in hoc vno pares, quod omnes tamen mirifice insanirent. Quin adeo ipsi sapientiores eum abhorrente cogebantur, vt ex tot *Pythagorae, Platonis et discipulorum* vere aureis sententiis intelligitur. Atque hos quidem Iudei haſtentus superabant, quatenus per varios ritus animum cogitatione rerum sublimiorum exercere edoc̄ti erant, hisque ex destinatione diuina certa aliqua significatio adiuncta erat, quemadmodum locum hunc accuratissime illustravit Auctor epistolae ad *Hebraeos*. Ut itaque si proposito diuino conuenienter obſeruarentur, Deus vere celebraretur atque etiam animus tum agendo tum fruendo aleretur. Sed ita tamen ſemper huic colendi Deum modo primum ad perfectionem vtrumque hoc deerat, vt nimirum neque extra terram Canaan, quin imo in multis ne quidem extra Hierosolymorum urbem et templum in hac extraterram, peragi posse, neque ad vniuersam hominum multitudinem in vnam societatem archis cogendam, idoneus eſſet. Deinde in ſe ſumtus neque ipſe excellentissimo Numinis conueniens erat et agnoscenda potius in eius institutione συγκαταλογις quaedam diuina, ex qua aliquandiu quasi de iure suo remittere aliquid decreuerat Deus. Unde etiam ſedulo cauebatur per Prophetarum ſtudia, ne vulgus exiftimaret mere externas ceremonias Deo placeare posſe, atque toties ad maiora, vt ſunt sanctitas animi, vitae totius modetia, morumque probitas, populus reuocabatur, quoties inanis fiduciae illarum iustus timor eſſet, adiuncta expreſſa significatione, quam parum inſit in his ceremoniarum ſtudiis, quod Numen ſupremum deceperet.

deceat; Quod multis scripturarum locis confirmare velle, esset profecto totum V. T. exscribere: cf. tamen *Hymnum L.* Est tandem neque hoc obscurum per universam *διανοίαν* Mosaicam ingenuae hominis erga Deum reuerentiae, tanquam filii erga Patrem, adeo non prospectum fuisse, ut potius quicquid ex eius praescripto ageretur durum seruitium esset, aut certe infantum tyrocinium, a quorum latere numquam seuerus oeconomicus atque praeceptor discedit, vtraque comparatione ab ipso Apostolo instituta Gal. III, 23. 24. 25. IV, 1. 2. 3. 7.

Transamus itaque mox ad Christianorum cultum
εἰς πνευματικήν καὶ αληθεῖαν, vt hoc magis luculenter pateat, in hoc omnia sapientissime coniuncta reperiri, quae ante probauimus Deum in instituenda religione sibi proposuisse. Quaeramus ergo primum, quae tandem illa omnia sunt, quae hoc cultu ex ipsius Seruatoris atque Apostoli eius interpretatione contineantur. Nimirum, si recte memini, torius hominis confirmatio ad aeternam legem Dei hac vna *προσωνύμων* comprehenditur, vt nunc ante omnia intelligendo cogitando volendoque id potissimum quaerat, quod perfectionibus diuinis consentaneum, suique ipsius atque proximi felicitati verae conueniens sit; atque deinceps per necessariam consecutionem omnia membra corporis ad hoc moderamen dirigat. Huius itaque erit adorationis quasi basis animus ita corroboratus, vt de Deo libenter secum commentetur, prouidentiae eius omnia, sperando, gratiis agendis, precibus faciendis, tribuat, effusissimo gaudio in Deo suo perfundatur; omnibus deinde bene cupiat, libenter occasionses alios iuuandi sibi propiciat, de oblatis impense gaudeat; sibi praeterea imperare studeat quoquis modo et in quacunque tempestate; atque huic demum fundamento firmiter iacto quasi aedificium oculis patens superstructetur membrorum corporis compages tota ad sanctos animi recessus patefaciendos

XIV

composita. In quo quidem affirmando non verendum est, ne iudicio nostro labamur, ad perpetuum quippe tenorem librorum sacrorum N. T. facta. Etenim in his non modo sanctimonia animi eiusque renouatio, seu figurato verbo, regeneratio, sexcenties inculcatur, ut videoas omnia ab ipsa pendere; verum ynice etiam *cordis circumcisio*, lotio et purificatio *animi*, sacrificia laudis, obedientiae, amoris, beneficentiae et uno verbo *vitae* ad praescriptum diuinum *compositae* vrgentur, cum aperta assertione ex his vnicce in posterum, verum Israelitam, ingenuum adoratorem, aestimandum esse (Rom. II, 28. 29. Ebr. X, 22. 2. Cor. VIII, ii. 1. Ioh. III, 3. Ebr. XIII, 15. Matth. IX, 13. Marc. XII, 33. Rom. XII, 1.) ut pateat; omnia $\pi\tau\pi\eta\mu\chi\tau\iota$ και αληθεια perfici debere. Neque etiam ignoratur vniuersam doctrinam Euangelii propter ea $\pi\tau\pi\eta\mu\chi\tau\iota$ dici atque hoc modo vel cultui ceremoniali Iudeorum tanquam σογη (Gal. III, 3.), vel decalogo tanquam ψευδουτι, primis elementis morum doctrinae lapidibus inscriptis (2 Cor. III, 6.), opponi. Sed enim si haec vera indoles est adorationis a D. N. commendatae, ut est omnino, cui amplius obscurum esse possit, omnia in eam cadere, quae ante diximus et per se longe absuisse ab Ethniconum religione, et in Iudeorum cultu ex consilio diuino non debuisse adesse. Hic profecto nihil, quod maiestati diuinae minus conueniens sit, vbi Spiritus perfectissimus spiritu quoque adoratur! Hic omnes liberi sumus a molesta seruitute operis quotidie certis horis ad certum formular cum corporis etiam fatigacione peragendi (Gal. IV), omnes filii! Hic porro recte sentiendo atque agendo corporis robur et multo magis animi quies crescit; abundamus gaudio, spe, fiducia in Deum, ut magis abundantanter Patrem benignissimum mente pura vita que sancta colimus: (Rom. XIV, 17)! Haec illa adoratio ad nullum locum adstricta, nulli personae minus apta, temporis

poris nullius impedimentis obnoxia; in quounque enim loco *spiritum nostrum* nobiscum circumserimus, vt Deum, proximum, cogitare, illum laudare, huic bene precari et sic porro possimus; *omnes* hunc spiritum habemus, pauperes aequae atque diuites, princeps uti subditus eius; tempus facile nullum, quo non aliquid boni sive cogitare, sive serio velle, sive etiam externa actione perficere possumus! Nullae denique in huius adorationis forma vni praet altero praerogatiuae tribuuntur, vnde odia et rixae societati perniciosa oriri possent, quin adeo studium de omnibus quoquis modo bene merendi, tanquam praecipua pars eius, inculcatur, omnesque sine discrimin'e sexus, viata gener's, populorum, admittuntur, vt fratres (Col. III, ii). Quomodo hic non omnia ad Dei gloriam, hominis decus atque etiam utilitatem, opportunitates nostras in exequendo cultu divino, et societatis denique uniuersae emolummentum consentientia reperiantur!

Sed enim quis audeat ad hunc Deum libere accedere conscientia malefactorum oppressus? Vnde hic solida illa atque firma animi fiducia, si terror atque tremor me peccatorem inuadant et totum occupent? Atqui hoc rete quaeris! Itaque etiam diximus, I. C. non solum illi cultui excellentiori praedicando, sed etiam vni pro omnibus sacrificio perpetuae virtutis offerendo, a Deo destinatum fuisse; atque hoc alterum, ne quis in posterum sive necessitatem, sive excusationem inanes et nullum solatum firmum afferentes ad expianda peccata ceremonias excoigitandi (Ebr. IX, 14) sibi relietam crederet. Docuit enim profecto omnium temporum usus, hominem per se proclivem esse ad remedia reconciliationis cum Deo exquirenda, et inquam constanti erga Deum fiducia uti posse; semper recurrere cogitationem anxiam, quo demum modo Numen summum placabo? Mich. VI, 6. Vnde adeo ex hac potissimum sensu cuiusvis affidente cogi-

XVI

cogitatione necessitatem sacrificii I. C. expiatorii aduersus eos tuendam existimem, qui sive omnem satisfactionem negare, sive tamen non ad omnes eam pertinere dicant. Nam et si iis sapientiam suam non inuideo, qui ex ipsis diuinis perfectionibus eam stabilire sciant, tamen huius nostrae demonstrationis certitudinem cum quisque suo sensu experiri possit, eandem etiam ad vincendum longe commodiorem atque aptiorem esse credimus. Itaque, ut paucis rationes colligam, ne tu peccator quisquis sis et quo cunque in loco terrarum viuas, conscientia malefactorum a cultu *ἐν πνευματι και ἀληθεᾳ* reuoceris, cum firma fiducia ad Deum accedere omniaque ab hoc Deo tanquam filius sperare possis, en! propterea tibi I. C. praedicatur, qui uno sacrificio omnes expiauit, ut nullis amplius opus habeamus (Ebr. X, 14.) per quem nunc omnes liberum ad communem Patrem accessum habemus (Eph. III, 12.) et quidem *ἐν πνευματι* (Eph. II, 18) h. e. *communi cum colendi modo nobis proposito*, ut sunt laudes Dei, preces, gratiarum actiones, et sic porro.

Sed cogenda est oratio et uno adhuc verbo id quoque persuadendum, quod tertio loco posuimus in his, quae D. N. ad stabilendam religionem *ἐν πνευματι και ἀληθεᾳ* instituerit, cum ante docendo et patiendo eam firmasset. Pugnerne igitur usus baptismatis atque S. coenae cum hoc Christianorum cultu, quemadmodum multorum ab omni tempore existimatio fuit! Vnde vero? Et quidni etiam hoc videndum sit, cum homo corpore quoque constet atque externi eius sensus nunquam otiosi sint, hos etiam utiliter occupandos esse in exercitio religionis, ut neque abducant animum ab officio, neque is plane eorum adiumentis careat. Et quemadmodum rituum multitudo animum obruit atque vim eius in agendo impedit, ita profecto iidem si sint simplices, pauci, innoxii et ad intelligendum apti, eum mirifice alunt atque

con-

confirmant. Quae omnia cum verissime in utramque sacram institutionem D. N. cadant, isque praeterea bonorum spiritualium conferendorum etiam vim iis infuerit, nemo sane esse debebat, qui non gratissimo animo haec nutrimenta efficacissima cultus nostri πνευματικού et θεού recipere.

Atque esset nunc locus hic proprius illa multa ad hanc indolem religionis Christianae in examen vocare, quae ab omni tempore de iure sabbati Christianorum, ceremoniarum publicarum inter Christianos decore et horum adiunctis reliquis in utramque partem disputata sunt. Neque etiam alienum ab hac disputatione vniuersa foret in Maiorum laudes excurrere, qui operosam religionis professionem externam, barbaris seculis stabilitam, cum omni pompa lotionum, pergrinationum, donacionum, sacrificiorum Missaticorum etc. magno cum animo reprehenderunt, ut nobis posteris libertas in Christo nostra restituueretur. Sed temporis nimurum angustia prohibemur, et est praeterea haec omnis disputatio fere exhausta in libris nostris communibus, et quod sigillatim ad illam de obligatione Sabbati nobis etiam Christianis reueranda, quaestione attinet, per Lutheri iudicium in *Catechismo maiori* (cf. *Corpus doctrinae Iulium* p. 695-sqq.), nihil relictum, quod amplius dici possit. Itaque etiam obiter omnium disciplinarum studiosis illud vehementer commendamus, Theologiae quidem, ut discant, quomodo sine superstitione tuenda sit religio diei Solis, reliquarum vero, ut eam ipsam religionem non ita fastidiose, ut aliquando fit, contemnant, cum, si ab una parte Paulus noluit Christianum hominem ulli externae in cultu diuino ceremoniae *superstitione* alligari (*Col. II, 16.*) Petrus etiam ab altera, severa praeceptione cavit, ne liberrate nostra ad contemnendum salubria instituta, proximi conscientiam laedendum, nobis ipsis opportunitates sanctas

C

prae-

XVIII

praeccludendum aburamur (I. Petr. II, 16.). Hoc itaque obiter. Illud vero ob argumenti vicinitatem, et in primis Sacrorum instantium solennitatem, non intactum relinquare possumus, patere nimirum ex vniuersa ratione cultus Christianorum, quam paucis illustrauimus, in nobis nihil admodum esse, quo apti reddamur ad hunc cultum perficiendum adeoque in eodem neminem auxiliis Spiritus S. carere posse. Atque haec si dicimus, non ea modo praesidia intelligi volumus, quibus occasiones ad recte sentiendum agendumque Deus nobis prouider, contrarias subtrahit iisque impedimenta obiicit, et quae reliqua eiusmodi sunt a Theologis in actibus *paedagogicis* numerata, (etsi neque haec in fortuitis negligenter ponenda sunt A&T. VIII, 27. sqq.); verum id maxime cogitamus, quo sit, ut cum effectu oblatis opportunitatibus vnamur, et non solum ornatu hominis Christiani, vera animi vitaeque pietate illustris, delectemur, sed eundem etiam ipsis induamus, semelque indutum non facile iterum abiiciamus aut pedetentim exuamus. In hoc nimirum essequendo sensus ipse quemuis doceat, quam parum possumus, et omnes ii toties nihil tale cogitantes confitentur, qui toties sola externa specie virtutis contenti (*simulacra virtutis* vt Cicero inquit) imbecillitatem suam praetendunt, ignauiam deprecantur.


Vos itaque, Ciues Amantissimi, hoc tanto duce, vocationis Vestrae memores, hos dies publice celebrandis donis Spiritus S. destinatos, peragite! Experiamini quatenus in veris adoratoribus Dei numerandi sitis! Circumspicite quisque Vobis opportunatatem, qua liceat sinceri cultoris supremi Numinis personam tueri! Ec largiter puto, eas suppeditat vestra vita Academica, magnam portionem requirens; si pauper sis, ut tamen tutelae diuinae suauiter acquiescas et omnia, quae tibi profint, cum fiducia a Deo expectes; si abundes pecunia,

nia, ut ne eadem ad luxum et in perniciem corporis vti
iaucturam temporis abutaris; et cum semper tamen in iu-
uenili aetate flexibili admodum constitutus sis, uta tot tan-
tisque vitiis tibi caueas, ad quae omni tempore in-
citamenta plurima fallacia et exquisita etiam adsunt.
Curate itaque, ut nunquam animus his omnibus su-
perior vobis desit, renouato his diebus in precibus fa-
ciendis ardore Spiritum S. adiutorem vobis expetite,
atque hoc modo Apostolicum praeceptum (Eph. V, 18.)
constanter exequimini, πληρουσθε εν πνευματι.

P P'in Acad. Iul. Carolina a. d. VI. Iunii,

M D C C L X V I .





AB: 153990



5b.

VDA 8

R

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Farbkarte #13

VERA RELIGIONIS
ER SPIRITVM S. MODERANDAE
INDOLES

IN

SACRIS P V B L I C I S
PENTECOSTES CHRISTIANORVM
A' C' N' MDCC LXVII.
CIVIBVS ACADEMICIS
COMMENDAT A.

HELMSTADII
X T Y P O G R A P H E O V IDV A E S C H N O R R I A E .

8
7
6
5
4
3
2
1
1
2
3
4
5
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18
19
Centimetres
Inches